

**Dissertatio inauguralis medico-practica de dolore capitis ... / submittit
Josephus Polza.**

Contributors

Polza, Joseph.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Viennae : In Typ. kroyssiana, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bdgfh2j7>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO

INAUGURALIS

MEDICO - PRACTICA

DE

DOLORE CAPITIS

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE
MEDICA

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO

DOCTORATUS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, ET
PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT


JOSEPHUS POLZA,

STYRUS FEISTRITZENSIS

DISPUTABITUR

IN UNIVERSITATIS PALATIO

DIE *MENSIS AUGUSTI, ANNO*
MDCCLXXXIII.



V I E N N Æ

IN TYPOGRAPHIA KROYSSIANA.


colle ad Zimmernmann. Clausen 1760. p. 32-33
Dangulum internum porticum opis parietalis
infimus - egra erat sana viro surgens
ad os suadet, adhibebatur, aut in capum,
lutea cuncta volenti parti applicatae lenimen-
te attulere, - paululum diutius laque hyppu-
quam ea cuncta cantharides capiti imponite,
fuit V. S. nihil felis arterie temporalis,
in curia legida, nihil lotus corporis immotio
et frigida capiti instillata ducere, nihil
ter adhibere, nihil blacum -
neque plures regulariter,
locus dolens dato melle ad os usque ducere
ille lipot, ut sic suspensio autantis, aut
loco in epistula doli reddere, - Conciat in cubis
dantur ad pericranium usque
et ut hanc in asie et polliculo longe eple
apparetis exilabatur, -
et dolor, nec unquam rediit,
una morbi et remota nullam in curant paces
res sarcinis Capite gestatas, - proxima fuit
us humor similis infusio et hinc, foran-
tali duri auri ramo hic luteali,
adiciat mollior.

NOBILI, PERILLUSTRI
CLARISSIMO AC EXPERTISSIMO
DOMINO DOMINO
J. NEPOMUCENO
DE
MARTINI,
ARTIUM LIBRALIUM,
PHILOSOPHIAE
AC
MEDICINAE DOCTORI
HAS PRIMAS LINEAS IN PERPE-
TUUM GRATITUDINIS ET OBSERVAN-
TIAE MONUMENTUM

D. D. D.



Devotissimus
Auctor.



V I R !

Ellucescit tandem expectata
diu, ac fausta dies illa, in qua
gratum TIBI meum e solo aca-
demico publice valeam contesta-
ri animum. Exoptabam dudum
primitias laborum meorum NO-
MINI TUO facras inscribere,
cum nemini praeter Te majori
jure primos hosce in Medicina
conatus obferre valeam.

Singularis enim benevolentia,
singularis & omnibus nota affa-
bilitas TUA, qua me tyronem
to-

toties in Musæo TUO recepisti,
cespitantem & aberrantem cor-
rexisti, dubia solvisti, difficultates
enucleasti, quoties TUAM effla-
gitarem opem, id genus officii un-
dequaque sibi expostulant. Sed
parcam verecundiæ ac modestiæ
TUAÆ, laudibus TUIS non im-
morabor, nec indiges me lau-
datore. Majora enim essent, lon-
geque plura laudum TUARUM
encomia, quam ut ab exiguo adeo,
qualem me sentio, encomiaſte
pro dignitate deprædicarentur.

Pa-

Patere igitur, VIR CELEBER-
RIME! ut hæc pagellas NOMINI
TUO sacras faciam, easque blan-
do ut soles, vultu respice, favo-
ribusque TUIS ulterioribus bea-
re non dedigneris eum, qui ad
cineres usque remanebit

TUI

VIR CELEBERRIME

Devotissimus
Auctor.

Si morbi cujuslibet historiam diligen-
ter perspectam haberem par ma-
lo remedium nunquam non scirem
adferre. *Sydenham.*



DE DOLORE CAPITIS.

§. I.



Inter tot, tamque diversas capitis
adfectiones morbosas, do-
lorem ejus frequentissimum
fane ac communissimum ma-
lum esse censeo, quod non solum plurimo-
rum morborum præcipue acutorum vel pro-
dromus, vel comes aut Satelles sit fidelissi-
mus, verum sæpe etiam tanquam morbus
A. prin--

princeps per menses & annos mortales miserrime divexet, quo fit, ut tota animali œconomia perturbata, tandem sensus in-et externi vacillent, & miseri ad quævis vitæ munia peragenda non solum reddantur inepti, sed tandem etiam ob diuturnitatem, & intollerabilis sæpe mali sævitiam vitæ ipsius vix non fiant pertæsi.

§. II.

Dolor capitis varias a variis auctoribus sortitus est denominationes, tum ex breviori aut longiori ejus perseverantia, tum ex varia plaga, quam potissimum infestare solet, aut demum a causis præcipuis eum efficientibus petitas, quæ singilatim pertractare juvat, ut videamus, quid scriptores medici sub diversis his denominationibus intellexerint; hinc sequitur primo.

Cephalalgia, quæ dicitur capitis dolor recens, & transitorius a græco κεφαλῆ caput & αλγέω doleo. Hanc hyppocrati sub nomine ecplexis venisse, testatur cel. fau-
 ges in Nosol. tom. 2. pag. 49. ubi simul eam dicit esse *capitis gravitatem, vel sensationem molestantem, quæ refert caput interius distentum, turgidum, & quasi gra-*

gravatum: porro causam ejus assignans ait, *verosimile est, hujus causam esse infarctum ipsius corticis cerebri, qui licet resectus dolorem acutum non inferat, sensum tamen obscurum obtinet, cum ejus vasa quocunque modo distendantur, & turgent.*

Cephalæa a græco κεφαλή caput, & αγω' labore vel ago: crotaphus cæl. Aureliani cap. 22 juxta eundem differt a cephalalgia, quod hæc acuta, illa vero chronica sit; hinc quoque hodiernis definitur, capitis dolor pertinax, inveteratus, & difficulter cedens, vehementes habens exacerbationes a levi causa ortas.

Alia adfectionis species est *Carebaria*: vocabulum hocce, si originem ejus spectes a χαρν caput & βαρν grave, designat gravedinem, seu gravitatem capitis læpe cum levi desipientia conjunctam.


Est etiam doloris capitis species, quæ *Clavus* audit, sive passio in parva capitis parte, sive doloris species clavum infixum referens: ejus sedes comuniter est supra oculum in supercilio, & sensum doloris producit, ac si pars capitis clavo vel terebello perforaretur, hinc etiam originem duxit.

Clavus hystericus, qui est species cephalalgiae mulieribus infestæ, ubi in quadam sincipitis parte acutissimum dolorem, quasi a frusto glaciei imposito sentiunt.

Una adhuc superest doloris species sub nomine *Hemicrania* auctoribus veniens, galis *migraine* dicta, quando scilicet dimidia tantum capitis pars dolet, reliquo hemispherio intacto manente; hanc doloris speciem, mihi nuper observare contigit in juvene, gonorrhæa syphilitica laborante, qui, quoties ab assumpto mercurio salivatio instaret, diram hemicraniam conquerebatur, quæ denuo, dum ab ulteriori usu mercurii abstineret, & jussu medici purgans assumeret, una cum signis instantis salivationis disparuit, post unam alteramve diem, repetito usu remedii mercurialis rediens denuo.

Hæc, quantum novi, solenniores & usitatiores dolorum capitis sunt denominationes.

Sedem dolorum capitis, quod attinet, varii variam statuunt, alii in periosteo, in meningibus alii, alii alibi eam quærunt; hac tamen super se difficulter quid certi statui posse credo; nec ingenii mei vires eousque



extendi lubens fateor, quæ sufficient ad tot clarissimorum virorum controversias discriminandas; interim in hoc uti in quovis alio morbo, quem dolor comitatur, nervos adfici sana physiologia docet.

§. III.

Supereft nunc, ut de divifione doloris capitis quædam dicam: is vero dividi folet in idiopathicum; & fimpathicum: ille adeffe dicitur, dum cauffa materialis, feu materies morbifica eundem cum dolore locum occupat: hic vero, ubi dolor & materies morbifica feu cauffa morbi in diverfis locis hofpitant, uti cephalalgia, quæ tribuitur faburræ in ventriculo hærenti. Alii hunc dolorem fieri dicunt per confenfum, quibus autem cel. Sauvages Noſol. tom. 2. pag. 48. ſententiam fuam opponit, quam ſequentibus declarat: *Falfum autem eſt, ait, dolores ſympathicos tribuendos eſſe ulli cauffæ, quæ fit remota a parte dolente ſeu falſum eſt, ullam cauffam agere, ubi non eſt: ergo, concludit, errant, qui cauffam cephalalgicæ ſtomachicæ in ſtomacho reponunt: verum quidem eſt, sæpe fieri, ut emetico præſcripto illa cephalalgia evaneſcat, verum inde non ſequitur, ejus*

causam fuisse in stomacho ; dubium est, num sanguis inspissans, & vasa meningum vel cerebri infarciens sit incusandus, num vero inspissatus fuerit ob plethoram, ob saburram, inquirendum restat: esto fuerit inspissatus a saburræ stomacho in sanguinis massam transfusa, illa cephalalgia optime discutietur, & præcavebitur usu emetici, licet principium proximum hujus referatur ad caput, quo dolor etiam refertur: commotio enim ab emetico facta, potest sanguinem in ipso capite discutere, & saburra eliminata futuri dolores simul præcaveri possunt. Qui itaque morbi juxta quosdam sunt sympathici, juxta alios diversa theoria imbutos idiopathici sunt; arbitraria est itaque illa morborum divisio, & a theoria dependens sæpius erronea.


Quid huic celeberrimi sauvages sententiæ veri aut falsi subfit, dijudicare, neque hujus loci est, neque virium mearum; controversiarum enim arbitrum agere, tum imbecillitas ingenii mei, & limites propositi, tum etiam reverentia erga alios claros, & celeberrimos in arte viros prohibent. Ego vero ejusdem celeberrimi viri hac in re vestigia secutus, divisionem juxta varias caus-

causas potissimum amplexus sum, utpote
viam tutissimam, & medicum cum in aliis
tum etiam hoc in morbo optime dirigen-
tem.

§. IV.

Quoniam vero causæ cephalalgiae adeo
multiplices, & sæpe numero adeo abstrusæ
sunt, ut exercitatissimi medici sagacitatem
in disquirendo eludant, eas in certas clas-
ses redigere, memoriæ adjuvandæ causæ,
quam maxime necessarium duxi. Solent au-
tem potissimum hæere *primo* in sanguine
bono quidem, sed quantitate peccante,
aut motu quocunque febrili exagitato, vel
rarefacto, vel in sanguine quacunque ratio-
ne vitiat. *Secundo* in fero acrimoniis
scatente, vel lentefcente, seu pituita. *tertio*.
in materia erisipelatosa, podagrica, artriti-
ca, scabiosa &c. retropulsa ad partes inter-
nas. *quarto*. in ingestis qualitate vel quan-
titate peccantibus. *Quinto*. in vitiis solidorum
Sexto. in vermibus sinuum frontaliū &c.
Septimo denique in irritabilitate nimia.

Cujuslibet causæ, quousque limites dis-
sertationi huic propositi concefferint, actio-
nem examinabo, hinc enim ipsa medendi
me-



methodus varia pro varietate causæ clarius inotescet.

§. V.

Sanguis qualitate bonus, sed quantitate peccans, seu plethora creat cephalalgiam, quam propterea sæpius citatus celsus Sauvages plethoricam adpellat. Cognoscitur autem ex comunibus plethoræ signis tum etiam ex pulsu raro; *Semper enim, inquit, observavi in gravibus capitis doloribus pulsum rarescere, nec semper facies est rubicunda, ut dum plethora alias partes adficit, sæpius in gravi cephalalgia palescit, gravitas ad frontem est notabilis cum difficultate cogitandi, distinetur ratiocinandi, reminiscendi.* Cognoscitur præterea ex ipsa ætate, conditione corporis, vitæ genere: familiaris enim, est sanguineis, juvenibus, fæminis, & viris laute pastis, potu spirituofo abutentibus.

Natura hanc speciem cephalalgiae præcipue in juvenibus, quorum vasa laxiora sunt, & impetui sanguinis facilius cedunt, sanare solet per hæmorrhagiam narium; ars vero per methodum antiphlogisticam, scilicet per venæ sectionem, medicamenta at-

tenu-

tenuantia, in iungendo diætam vegetabilem, refrigerantem, & evitationem reliquarum cauffarum generandæ plethoræ faventium.

Hujus cephalalgiae varietates sunt :

Cephalalgia Catamenialis : eaque duplex, una, quæ instantem catameniorum fluxum præcedit, hisque errumpentibus evanescit: altera, quæ oritur a totali suppressione, & emanfione menftruorum: utraque vero mulieribus periodice & circiter quolibet mense fupervenit.

In curatione fecundæ fpeciei cephalalgiae catamenialis attendendum erit medico ad ipfam cauffam fuppreffionis menftruorum, quæ cum varia effe poffit, patet non femper iifdem remediis menfes pellendos effe.

Cephalalgia hemorrhoidalis altera eft plethoricæ varietas, & commune hemorroidariorum fimptoma, pendens ab ipfo conatu hemorrhoidali; hujus cura univerfim petenda eft ex curatione hemorrhoidum, quam hic pertractare fupfluum duxi, cum nuperrime prodierit differtatio de hemorrhoidibus a doct: Reiter edita, & aliud egregium opufculum germanico idiomate con-

scriptum, cui Titulus est. Die Hemorrhoiden den Freunden dauerhafter Gesundheit gewidmet. Berlin und Stetin auf Kosten des Publici.

Sequitur porro *Cephalalgia gravidarum*, de qua agens cel. fauvages sic ait: *quandoque gravidas vehemens divexat cephalalgia circa frontem & oculos, palpebræ difficulter attolluntur, imo quod pejus sopor accedit minime levans; huic gravi malo, ex quo pejora metuenda sunt, illico phlebotomia etiam repetita succurrendum est* Hic morbus, si continuat, sub graviditatis finem magis metuendus est. *Aorta scilicet ab utero compressa sanguis in supernis partibus retinetur, inde metuenda appoplexia, eclampsia &c.*

Sed alia adhuc observatur in gravidis cephalalgia, ab hac, quam nunc pertractavimus, multum diversa, cujus, quantum recordor, cel. auctor mentionem nullam facit, illa nimirum, quam gravidæ præter alia symptomata uti nauseam, vomitum, odontalgiam &c primis post conceptum diebus experiuntur; hanc a priori ideo distinguo, cum diversam medendi rationem expostulet: non enim oritur a sanguine versus caput de-

ter-

terminato, uti prior, sed a singulari mutatione nervorum in conceptu prægresso a femine virili, ut physiologi volunt, inducta; hinc non tam venæ sectionibus aut aliis evacuantibus, quam remediis nervinis, antispasticis, antihistericis levabitur.

§. VI.

Ad cephalalgias, quarum causa hæret in sanguine, comode referri posse credo *Cephalalgiam febrilem* cel. fauvages, diversam a cephalalgia febricosa ejusdem, de qua inferius agemus. *Illa*, febrilis nempe, *morb*us est, inquit, *frequentissimus in quocunque febrium ordine, nisi potius symptoma adpellare velis; oritur autem ab impetu sanguinis solito majori ad encephalon facto, quo fit, ut pressio lateralis in vasa sanguifera crescat; sed cum ratione Astheniæ febrilis æger horizontaliter jaceat, impetus cruoris in vasa capitis major est, quam cum stamus, ergo duplicem ob causam pressio lateralis vasorum capitis major evadit. Hanc cephalalgiam in febribus acutis cum urina tenui, pellucida phrenitidem, id est, delirium portendere asserit, maxime si ærugino-sa vomant ægri, & si cum surditate est*
per-

pervigilium, ut docent Prorrhetica; si dolor capitis vehemens in hoc casu subito deliteſcat, ſignum eſt delirium aut ſoporem accedere, quod ſi fiat ſine cauſſa evidenti, ut a criſi, phlebotomia &c. peſſimum eſt.

Curam hujus cephalalgiae indoles varia febris, cujus ſymptoma fuerit, determinabit.

§. VII.


Ad primam claſſem cauſſarum porro pertinent omnes illae, quae ſanguinem ad caput ita determinant, ut inde plethora topica oriatur, & vaſa encephali nimium diſtendantur. Huc ſpectat ſanguis orgaſticus, ut in febribus continuis, aut in ſtadio caloris intermitentium &c.

Cauſae ſanguinem rarefacientes, & plethoram ſpuriam efficientes, uti calor aëſtivus in itinerantibus, meſſoribus. De cephalalgia ex hac cauſſa orta doct. Hudclift Diſſert. de cephalagia pag. 24. ita habet. *Quae ab inſolatione aëſtivo tempore cephalalgia phrenitidem lethalem aut appoplexiam cito inducit, hiſ ardor frontis a*
ma-

manu tangentis percipiendas, caput vero quasi inane adparet, oculi lucem fugiunt, scintillant, facili motu cientur, scotomia oboritur, somnus laborem faciens obrepit, celeriterque expergiscuntur, in iram proni, aspersu aquæ frigidaë delectantur, juvat vena in fronte secta, purgans antiphlogisticum, emulsio nitrosa, aer frigidus.

Rarefaciunt quoque sanguinem exercitium corporis immodicum qualecunque, præcipue æstuante sole, uti lucta, saltus, cursus, venus, opium, spirituosæ, aromatica assumpta. Ad caput urgent diurnæ aut nocturnæ meditationes, studia intensa, curæ, vigiliæ, lucubrationes profundæ, ira vehemens, balnea, femicupia nimis calida vel frigida calenti corpori repente adplicata. Omnium harum causarum agendi ratio ex pathologicis facile patet; unde & medendi methodus intelligitur,

Aliæ vero causæ sanguinem non tam ad caput determinant, quam liberum inde refluxum ejus impediunt. Tales inter animi pathemata præcipue sunt tristitia, mæror diuturnus: hæc enim actionem pulmonum supprimunt, hinc in diu & valde contristatis



tis dolor capitis : pulmones tuberculis obfessi, pituita crassa infarcti, a vomica clausa, ab empiemate, ab aquis in cavo thoracis collectis compressi: hinc non infrequens est dolor capitis in asthmaticis, puellis choreoticis, phthyficis, in quibus congestionem sanguinis in encephalo designat facies florida, gennæ rosæ.

Idem fit in fæminis, quæ formositatis putatitiæ caussa totum abdomen thoraculis coarctant, quo & respiratio, & circulatio sanguinis per viscera abdominalia plurimum læditur: in juvenibus, militibusque collaria arcta gestantibus, ut læte rubentem faciem præseferant, quo fit ut oculi extrorsum tumentes rubeant, rubeat integra facies, sæpe etiam ob turgentes sanguine venas plane livescat. Idem observatur in illis, qui per plurimam diei partem capite antrosum inclinato scriptitant, quibus certe capite, imo toto corpore erecto, & absque collari scribere conveniret.

Dolor capitis simili fere ratione vexare solet eos, quorum intestina fæcibus copiosis, antiquis repleta, vel viscera abdominalia quacunque ratione obstructa & infarcta sunt; inde enim fit, ut sanguis per has partes inæquabiliter dispensatus illuc

majori copia ruat, ubi minorem invenit resistantiam, scilicet ad caput, & vasis cerebri nimium distentis, turgentibus cephalalgiam, cephalæam, fors & alia magis periculosa producat.

Causæ igitur nunc recensitæ sua methodo, quam hic uberius pertractare & nimis longum, & superfluum foret auferendæ sunt, quibus ablatis etiam capitis dolor, tanquam harum effectus tollitur.

§. VIII.

Nunc ad alias cephalææ species transire juvat, quarum causæ non in abundantia sanguinis seu plethora vel universali vel topica, vera vel spuria, sed in sanguine a sana ejus indole recedente, vitiato, & varie corrupto delitescunt.

Binas præcipue species cephalææ hic examinabimus, veneream nempe, & scorbuticam.

Dolor capitis idio pathicus sæpius originis est venereæ & duplici ratione oritur: primo quatenus miasma syphiliticum per massam sanguinis oberrans per vices quoque

que ad encephalon delatum, ibidem acrimonia sua nervos velicat: vel quatenus varia vitia interna ossium cranii, uti nodos, tophos, exostoses, spinas, & cariem producit; hinc orta sanies, & spicula ossea facilem horum dolorum præbent explicatum. Solet vero hæc cephalæa syphilitica noctu plerumque exacerbari, fors, quia ægri tales in stragulis & piumis copiosis quasi sepulti jacent, unde calor ortus humores rarefacit, febriculam excitat, circulum humorum auget: hinc dolor capitis, dolor extremorum lancinans, rheumaticus quasi, tortura venereorum nocturna dictus, qui in surgentibus mane, & in aere libero obambulantibus mitigatur denuo, aut etiam penitus fileat.

Eodem fere modo res sese habet cum cephalæa scorbuticorum, horum enim dolores, rheumaticos fere æmulantes pariter noctu exasperantur: unde cautella summa opus erit, ne hos dolores nocturnos illico pro signo latentis luis accipiat medicus. Venerei subin etiam de die eosdem dolores experiuntur; accedit, quod dolores alii uti podagricorum, artritricorum pariter vesperi & noctu exasperari soleant, perinde ac dolores venereorum, qui sudoribus versus auroram obortis, iterum cessant, sequen-
ti

ti nocte redituri denuo. Error hac in re quam maxime practicus a medico incauto committi posset, si ex doloribus hisce nocturnis mox ad præsentiam luis concludens scorbutico medicinam faceret antiveneream, cum constet a remediis mercurialibus scorbutum pessime exasperari.

Præterea pleræque febres uti rheumaticæ ejus indolis sunt, ut una cum suis symptomatibus vesperi exacerbentur: quæ res iterum confirmat, cephalæam perinde ac aliarum partium dolores vespertinos sive nocturnos diversæ originis esse posse. Cephalæam nocturnam venereorum ab alia sæpe non sine magna difficultate distingui, ipsius cel. fauvages observationes docent; clarissimus enim hic vir, agens de signis cephalææ syphiliticæ sequentia adfert, ea, inquit, præterquam quod signa syphilitidis male curatæ obtinet, & quod noctu, dum æger lectulo incalescit, ferociat, nulla criteria propria obtinet: etenim vidi hanc speciem ita catarrhali affinem, ut nisi hydrargyrosi cessisset, & noctu exacerbasset, pro catarrhali eam habuissem. Vidi continuat poro, hanc speciem a bienio sævientem, noctu exacerbantem, quam pro rheumatica medicus ordinarius ha-

B

bue-

buerat, proindeque phlebotomias repetitas præscripserat, jusculaque edulcurantia, sed in cassum; æger scilicet virus venereum celaverat, sanguis erat uti in rheumatismo gellatina alba, crassa obductus, cum denuum accersitus confessio- nem virus venerei extorsissem, adhibita hydrargyrosi æger convaluit. tandem adit: hæc species neglecta exostoses cariesque inducit. Sic quoque Balonius aliquoties pertinaces cephalalgias, & hemicranias decocto lignorum se curasse testatur, quæ proinde probabilius a lue venerea ortum duxere.

Ex dictis igitur abunde patet difficultas & necessitas fomitem hujus mali rite distinguendi, & cognoscendi, ut ne in cassum tam ægrum, quam se met ipsum torqueat medicus. Ut tamen criterium quoddam habeamus, quo hæc duo mala, cephalaea nimirum venerea & scorbutica aliquatenus saltem distingui possint, ad hæc attendere oportet: quod venerei mane e lecto surgentes sat commode habeant, agilesque denuo sint; contravero scorbutici hoc tempore licet a doloribus, quibus noctu vexabantur, forsitan immunes, languorem quemdam singularem, & lassitudinem membrorum

molestam absque ulla refectione a somno prægressio experiantur, quæ primo post facta quædam exercitia corporis disparet, quamque pridie, dum decumberent, non sentiebant.

De cura utriusque hujus cephalææ non est, quod dicam, utpote a tot celeberrimis viris uberrime traditam; eam enim in curatione morbi principalis consistere cuilibet innotescit: id solum monendum habeo, effectus luis non semper tolli, quantumvis luc ipsa ex integro percurata; hæc enim, quamdiu in fluidis hospitatur, medellam solummodo, & curationem admittit, ubi vero jam in solidis vitia produxit, mala inde oriunda non raro ad optima quævis remedia rebelia manent.

Hinc fit, v. g. a topho venereo interno vel exostosi cephalæa oriatur, subinde omnia in cassum tententur, & ægri per diuturnum remediorum antisyphiliticorum usum vix non toti ex hauriantur, quin tamen ullum exinde levamen mali percipiant. Nollem tamen hæc ita accipiantur, ac si omnes tophi venerei incurabiles essent, sunt omnino curabiles, vidi ipse curatos, id tantum assero, eos non semper curari posse.

§. IX.

Alter dolorum capitis, aliorumque hujus partis morborum fomes hæret in sero, quod in cavitatibus variis cerebri, vel inter membranas ejus collectum vel mole sua id opprimit, vel contentis spiculis salinis, aut acrimoniis variis nervos velicat; id quod cel. frid. Hoffmannus in ejus pathologia generali parte prima, cap. 6to. pag. 99. de morborum, & motuum morbosorum causis agens sequentibus indicavit: *serum impurius*, inquit, *membranas capitis & cerebri lancinans, hemicranias, cephalalgias, & convulsiones parit.* Et profecto sæpius observatoribus practicis ex hac causa visi sunt atroces, & diuturni capitis dolores, quos tandem delirium, & sopor apoplecticus exceperit. Ejusmodi compressiones cerebri a sero in capite accumulato, quas plerunque dolor capitis qualiscunque demum præcesserat, uti & mortes inde secutas aliquoties in nosocomio sanctissimæ trinitatis mihi perinde ac aliis videre contigit. Hæ depositiones feri in diversis febribus, plerunque vero in putridis non adeo infrequentes sunt, quas communiter alvus morosa, & nonnisi enematibus acrioribus sollicitanda, pulsus celer & parvus, uri-

urina parca, cutis pertinaciter sicca & in-
porspirabilis prænuntiant. Dolendum sa-
ne est, quod hæ metastases serosæ sæpe
nulla ratione præcaveri possint. Ipsi etiam
vesicantibus, utut a plurimis eo fine adhi-
beri soleant, adeo non impediuntur, ut
potius accelerentur; id quod multiplici ob-
servatione edoctus celeberrimus & exper-
tissimus, mihiq; ad cineres venerandus
praxeos clynicæ professor Maximilianus
Stoll ad ipsos lectos ægrorum sæpius co-
ram discipulis suis conquestus est: Et sane
a vesicantibus hoc in casu effectum desi-
deratum non obtineri, mirum non videbi-
tur, si actionem eorum perpendamus: uri-
nam enim, quantumvis ad crebriorem ejus
depositionem incitare videantur, supprimunt,
supprimunt & alvum, quæ tamen, si fluidi-
or, & obsequiosior reddi posset, forte me-
tastases has unice præverteret.

Ejusmodi metastases serosæ in hydropi-
cis sæpe subitanæ mortis causa sunt.
Contingit hoc, quando tumores aliarum
partium v. g. abdominis, scroti, pedum,
in quibus aquæ collectæ sunt, decrescunt,
aut penitus disparent. Incipiunt tum con-
queri levem dolorem capitis, mox inci-
dunt in soporem, ex hoc in appoplexiam,



quæ vitæ & morbo finem imponit: ad hanc metastasim præcavendam optime conducit situs ægri erectus, inessio ad fellas, obambulatio, evitatio situs horizontalis vel supini: præter reliqua remedia antihydro-pica etiam scarificatio ad maleolos facta sed exigua, ne subita depletio aquarum ægrum ex Keneangea perire faciat: forte hic si unquam bonum effectum præstaret cucupha ex vesicante raso capiti applicata, ut serum stagnans vi cantharidum resolvente, incidente, & stimulante denuo in circulum ageretur.

§. X.

Huc etiam cephalalgiam catarrhalem referendam puto, quam cel. sauvages duplicem statuit: unam externam, quæ cutim, ut ait, tantum adficit. quæque ex duplici phenomeno patet: nempe ex cutis capillatæ rubedine, & dolore tactum refugiente, qui etiam capillorum pectinatione exasperatur,

Altera est altior, & capsulam aponevroticam, qua involvitur cranium, afficit; atque ut prior coryza tussi, sternutatione se prodit, & maxime ex eo, quod dolor tactu

tu, frictione sedatur. Hic dolor quandoque est saevus & pertinax cum tinnitu, strabismo, visu duplicato prout in vicina organa serpit fluxio, ac catarrhorum more ad quadraginta dies extenditur.

Curatur juxta eundem celeberrimum virum phlebotomia una vel altera si opus fuerit, catharsi, potu theato, diæta mediocri, suffitu vario. Cum autem, ait porro, ab æris frigidityte & humiditate procedat morbus, evidens est, perspirationem tegumentis calidis, siccis, aere calido, exercitio, potu calido esse revocandam, quod ratio capillitii densioris etiam præstat. Videtur etiam vesicans huic cephalalgiaë conducere, perinde ac aliis adfectionibus rhenmaticis.

§. XI.

Pituita frequens dolorum capitis, aliorumque hujus partis morborum causa non immerito jam ab ipsis veteribus incusabatur; unde factum esse puto, ut in antiquis dispensatoriis tot diversæ compositiones pillularum cephalicarum reperiantur, quarum potissima virtus est incidens cum stimulo, seu resolvens.

Familiaris quoque capitis dolor est illis, quibus pulmones tenaci pituita obfessi sunt: uti peripneumonia notha laborantibus; unde cel. sydenhamus reliquis hujus morbi signis etiam dolorem capitis adnumerat. Ex his autem facile colligitur, curam hujus cephalalgiae consistere in incidentibus; resolventibus, saponaceis, evacuantibus, eccoproticis, qualia sunt, salia media, antimonialia, gumiferulacea &c. hic etiam locum habent errhina, sialagoga, purgantia, clismata acria, universim ea, quæ in morbis frigidis & humorum indole pituitosa indicata sunt.

§. XII.

Tertia caussarum classis continet exanthemata, & acrimonias quasdam, quæ partes externas occupantes, nunc ad internas retropelluntur. Huc spectat erysipelas, quod externe remediis variis reperiuntibus, præcipue saturninis tractatum ad interiora recedit, quod ubi caput petit, creat ab innitio diram cephalalgiam, mox in phrenitidem lethalem abituram, vide illustrissimi præsidis liberi Baronis de Störck præcepta medico practica tom. I. pag 307. ubi de erysipelate ad cerebrum delato agens
fe-

sequentia adnotat : dum erysipelas , ait ,
Subito cerebri petit meninges aut ad ipsum deferatur cerebrum , vehementissima in his partibus exoritur inflamatio , intollerabilli hi ægri excruciantur cephalalgia , cui brevi accedit furor , & non raro violentissimi se adjungunt spastici subsultus , quos plerumque mors sequitur . Sæpius vero non tam ad caput , quam ad intestina ruit , licet æquali cum periculo , præcipue si de illa specie erysipelatis fuerit , quod bulosum vocant , eo quod brevi ab exortu suo bululas gangrænescentes præseferat : quodsi contingit , æger mox continuum & intollerabilem abdominis dolorem conqueritur , dolorem adeo atrocem , ut vel levissimum attactum refugiat : medicum accedentem a longe horret , & inter ejulatus continuos rogat , ne sibi abdomen tangat . Hæc atrocitas doloris inter inflammationem intestinorum erysipelatofam , & vulgarem præcipuam fere ponit differentiam ; nam vera , & genuina inflammatione intestinorum laborantes aliquem saltem ferunt attactum ; erysipelate interno correpti plane nuilum ; quæ res medici attentionem summam in facienda prognosi requirit , ut ne simplicem inflammationem adesse putans , spem futuræ salutis ægro & adstantibus allat , quam paulopost tristis eventus , mors scilicet

inopinata frustratur ; ejusmodi erysipelas enim, prout in externis ita quoque in internis partibus citissime in gangrænam vergens, ægrum intra duodecim, ad summum viginti quatuor horas neccat, nisi adhuc citius, si irritabilior fuerit ob sævitiam doloris convulsus pereat. Tam repentinæ mortis ex hac causâ proventis ratio consistere videtur in eo, quod partes internæ externis multo delicatiores irritabilioreque ferendis tantis injuriis, quibus hæ per omnem vitam asueverunt nullatenus pares sint. Curam cephalalgiae ab hac causâ ortæ, quod attinet, brevitatis gratia ad ejusdem illustrissimi auctoris tractatum de erysipelate benevolum lectorem ablego.

§. XIII.

A materia artritica, podagrica in interioribus restitante vel huc ab externis repulsa diras cephalalgias aliaque mala funestissima produci ex observationibus practicis abunde constat. Causâ vero stasium internarum hujus materiæ potissimum duplex est, vera nempe aut spuria debilitas; per priorem intelligitur verus virium cordis defectus, quo fit ut cor non sufficiat propellen-

lendæ huic materiæ morbosæ . . . loca consueta, & minus periculosa; posterior autem pendet a nimia molle movendorum, quæ cordis vires sufflaminantur, unde pariter effectus priori similis sequitur.

Petet hinc ratio medendi in his circumstantiis, patet quoque non semper iisdem remediis hanc materiam ad articulos revocandam esse, patet denique necessitas summa veram debilitatem a spuria rite distinguendi. Sic quoque materia scabiosa, herpetica externo usu pinguium & adstringentium ad interiora retropulsa cephalæas gravissimas, aliaque tristissima mala, uti cæcitates, epilepsias, amauroses produci, multiplex experientia docuit. Ab ophtalmia ad interiora capitis ope vesicantium revocata diras hemicranias ortas fuisse observationes practicorum vetant.

Cura in diversis hisce casibus indicata cuilibet facile innotescet, qui causas, earumque agendi rationem perspectam habuerit; hanc enim uberius & fusius pertractare tum angustia temporis tum limites huic dissertationi præfixi vetant.

XIV.

Ad quartam caussarum classem retuli ingesta qualitate aut quantitate peccantia. Huc pertinet cephalalgia stomachica Riverrii pr. de dolore capitis, quam a saburra in primis viis hærente foveri, & per consensum capitis cum stomacho fieri ait. Cognoscitur autem ex ipsis signis saburræ, uti nausea, vomituritione, ructibus, cardialgia amarore oris; curam vero hujus ipse Hypocrates aphor. 17 sect. 4. indicat his verbis: *si sit cibi fastidium, cardialgia, oris amaror, & vertiginosa capitis gravitas emetico opus est.* Huic effato Hypocratico suam sententiam subjungit cel. fauanges nosol. tom. 2. class. 7. pag. 5. num. 4. *si tamen inquit, aliunde vetetur usus emetici, catartica possunt, licet minus tuto usurpari: utrumque genus remedii præmissis præmittendis, uti phlebotomia, abstinentia, potu diluente adhibeatur.* Dicta prius symptomata ait porro: designant inhærentem & latentem in ventriculo saburram; saburra enim cruda a recenti crapula vel ingluvie orta non stipatur oris amarore, & vomitione spontanea sæpe tollitur, secus emeticis aut catarticis abigitur; illa species sæpe cephalalgia

giæ febrili est adnexa, seu stomachica cum febrili sæpe conjungitur, ast diversæ sunt quoad principium. Sequitur ergo ex his, saburram duplicem distingui debere, scilicet recentem, & non recentem: illa utpote ab ingluvie orta, & adhuc in ventriculo hospitans tutissime, nisi quid contraindicaret, vomitu tanquam via brevissima expellitur: hæc vero non promiscue emeticum aut catarticum requirit, sed horum usum turgor ejus ad superiora vel inferiora ex suis signis colligendus determinabit.

Cephalalgia ab ingestis venenis quibuscunque, quamdiu adhuc in ventriculo hærent, pariter & optime quidem emetico promte exhibito curabitur. Sic quoque a fecale cornuto dolore capitis laborantes tetano & delirio correpti moriuntur, nisi cito vomitorium, præmissa venæ sectione, si exigat, propinetur, Vide Hudelist dissertatione medica de cephalalgia.

§. XV.


Vitia Solidorum quæcunque intra calvariam enata, quo etiam mala capitis conformatio vel a nativitate vel a vi externa capiti

piti illata spectat, dolores capitis chronicos sæpe immedicabiles procreant. Officula, spinæ osseæ introrsum versus cerebrum directæ, exostoses, nodi, tophi, vasa rigida, indurata, ossificata, id quod in senibus haud raro contingit, cephalæas atroces, omnemque medellam respuentes causant. Inflammationes menyngum non ex integro absterfæ, aut alii inflammationum olim prægressarum exitus, concretiones membranarum, suppuratio, effusio lymphæ coagulabilis in membranam spuriam coalescentis, quo fit, ut cavitate cranii imminuta, cerebrum comprimatur; idem enim in inflammatione capitis interna fieri potest, quod in inflammatione aliarum partium, uti pulmonum, intestinorum &c. toties factum vidimus in nosocomio practico, ubi hæc pseudomembrana a transfudante fero phlogistico orta pulmones ita incrustat, ut nisi repentina suffocatio sequatur, saltem eorum actio pro ratione crassitiei hujus membranæ per totam vitam plus minus læsa maneat. Cephalæa ex hac causa perinde ac asthma inde oriundum omnis medellæ expers est.

Quodsi vero puris , aut saniei collectio in cavo cranii adsit , ea ab initio cephalæam per vices recrudescentem , tandem vero mole continuo aucta , exitumque nullibi invenientia , consumendo & corrodendo substantiam cerebri , & cerebelli læsiones varias variorum sensuum tam in - quam externorum syncopes paralyses diversarum partium producent , donec mors exoptata tragœdiam claudat. Facile hinc patet , quid spei medico & ægro ratione curæ in dictis casibus supersit , quodsi enim terrebratio prudenter instituta malum non auferat , vix est , quod speres ab alio remedio.

Ad hanc classẽ causarum porro referri possunt ictus , vulnera contusio fractura similesque causæ procatarcticæ , quæ cephalitidem , phrenitidem , eclampsiam , aliosque gravissimos morbos inducere solent , quorum cura in tractatibus chyrurgicis est quærenda.

Sic quoque a plicæ polonicæ resectione , aut materiei retentione fortis capitis dolor ortus cariem inducere solet.




§. XVI.

Pervenimus nunc ad varias insectorum species, uti vermes, cimices, scorpiones &, quæ historiæ medicæ scriptores in cavitæte cranii subin reperta fuisse narrant; sed cum provida natura omnem aditum ad interiora capitis tam solícite prohibuerit, merito dubitari potest, utrum observatores hæc insecta in cadaveribus mortuorum non potius vidisse voluerint, quam reipsa viderint; at certum est, ea frequentius inventa fuisse in sinibus diversis tum hominum, tum animalium, præsertim ovium, quibus certa species muscarum insidiatur eousque, donec per nares ingressa in sinibus vel ossibus spongiosis ovula sua deponat, quæ postea per calorem corporis, & mucum hic præsentem exclusa, integrum nidum vermium sistunt, qui rodendo, & velicando nervos dictis animalibus sævos capitis dolores causant, quod ex rotatione capitis vertiginosa concludere licet, quæ eousque persistit, donec vermes hi sponte e naribus exeant.

Historiæ vermium in sinibus narium nidulantium legi possunt apud Fernelium in ejus pathologia cap. 7. apud Rolsincium de capi-

capitis dolore: in Poneti sepulcreto tom. I. pag. 67. de eorum præsentia judicare licebit ex dolore capitis rosivo, mordaci in puncto quodam supra orbitam cum naso inflato in corpore alias sano, ex pruritu, vertigine per vices accedente, ex sensatione animalculi reptantis, aut sese moventis. Vermes autem intra calvariam reperi ad rarissimos casus pertinere antea dictum est, cum nonnisi paucissimi casus extent ossis ethmoidei erosi; hi casus inquam rarissimi sunt, illi vero, ubi tabacum ex nimio abusu per os prius dictum ad cerebrum usque penetrasse, illudque destruxisse legitur, plane omni fide destituuntur: hinc illos, qui vermes cimices, scorpiones &c. se in capite reperisse adfirmant, probabilius concretionibus polyposis horum insectorum figuram referentibus deceptos credo.

Origo vermium in sinubus nidulantium explicari facile potest per attractionem ovulorum in ære obvolitantium. Idem contingere fortassis potest in subjectis verminosis, quibus de nocte vermes ex abdomine ascendere, & ad sinus antea dictos per foramina postica narium intrare possunt, eadem ratione, qua illis sæpius per os aut per



anum exeunt, quorum eliminatio haut exiguam ponit difficultatem. Boerhavius narrat quidem historiam puellæ a se curatæ cujus sinus frontales vermibus scatebant, asseri simul, eam continuis rodentis & fere moventis bestiolæ sensum percepisse.

Aliqui hoc in casu suadent injectiones ex solutione cupri factas vide Hudelist disert med. de Cephalogia pag. 27. forsan & aliæ injectiones ex corporibus acribus compositæ convenirent. Alii terrebrationem ossis frontis instituere consilio certe audacium ob deformitatem faciei inde sequentem, tum ob difficultatem operationis, & laniationis vulneris, quum jam ipse Cornelius Celsus, aliique veteres chyrurgi agnoverunt. Interim tamen Cel. sauvages in casu fere simili terrebrationem suavit, narrans historiam monialis, quæ bis hæmicraniam sinus cum febre aucta passa fuit: prima vix, ait, hemorrhagia narium, quam medicus ex pulsu nosali prædixerat, eam liberavit; altera vice eadem symptomata, idem pulsus, sed naris sicca fuit, & nihil sanguinis ex ea efluxit. febre sanata, dolor immanis in orbita permanfit: consultus cum ill. D. Chaptal non dubitavimus, quin sanguis in sinu clauso collectus huic ansam proberet, & trepanum suavisimus.

Simi-

Similes dolores etiam a muco ibidem collecto, immo indurato, & in calculos converso oriri demonstrant calculi per nares anticas rejecti vide Bonet. sepulcret. pag. 62. tom. I. alii per mares porticas idem ibidem pag. 61 in quo casu acidulas protulisse asserit Fabr. Hildan. centur. 5. obs. 1.

§. XVII.

Nimiam irriabilitatem sistematis nervosi in ultima classa caussarum dolores capitis foventium posui: hæc enim hujus adfectionis perinde, ac aliarum innumerabilium frequens est scaturigo: id vero notandum est, irriabilitatem hanc esse solummodo causam prædisponentem, quæ perse non agit, sed accedente alia causa excitante, unde patet, in morbis ab ea pendentibus primo causas procatarcticas, quæ numero infinitæ sunt, auferendas e hisque ablati primo in prædisponentem: id est in nimiam irriabilitatem agendum esse, causæ autem excitantes prout ipsæ diversæ, fors etiam contrariæ fuerint, ita quoque diversa & non raro contraria, medella indigent. Cephalgia hypochondriacorum & hysteri-
corum huc pertinet, quæ non tam morbum principem, quam symptoma morbi hypocho-

pochondriaci & hysterici constituit. Huc pariter spectat clavus hystericus sydenhami: cephalalgia gravidarum primis a conceptione diebus orta de qua superius §. V. egimus.

Huc etiam referre placuit cephalalgiam metallicam cl. Doazan Doct. Monspel. quam figulis maxime familiarem esse observavit, cujus curam vide -n Nosol. method. cel. sauvages tom. 2. pag. 53.

Dolorem capitis periculosissimum post nimiam deperditionem sanguinis pariter huc refero, uti & cephalalgiam post deperditionem nimiam, feminis, aut humoris alterius cujuscunque natam, eo quod post ejusmodi evacuationes irritabilitatem nervorum notabiliter auctam observare sit, quod docent motus convulsivi, spasmi, & singultus hemorrhagiis gravibus supervenientes: affectiones nervosæ uti catalepsis, Epilepsia &c. ex abusu veneris accedentes. Cephalalgia ex hac causa orta medebitur, quidquid humores deperditos restituere, nervos paccare & roborare valet, uti quies, somnus cibi eupepti, emulsio camphorata, cortex cum lacte exhibitus &c.

Cephalalgia periodica, seu potius febris intermittens quaecunque sub larva cephalalgiae ludens, quam saepius citatus cel. Sauvages cephalaeam febricosam apelat, hanc classem jure merito ingreditur. Exemplum hujusmodi febris larvatae refert Mortonus in ejus pyretholog. pag. 32. ubi dolorem capitis intollerabilem, certis, statisque periodis quotidie ut plurimum tecrudescentem se observasse ait: aberat autem algor, rigor, calor, & sudor, qui sese alternatim excipiunt in legitimis intermittentibus; urina vere multum tincta & contentis saturata speciem aquae cum pulvere lateritio mixtae praeseferebat. Morbum saepe in casum frequenti phlebotomia etiam e jugulari, epispasticis, cephalicis omnigenis, er-rhinis masticatoriis aggressus est Mortonus, eum vero auxit adhibitis emeticis, catartici-
cis levioribus, chalybeatis, antiscorbuticis, donec tandem experientia didicisset usu copioso corticis doloris hujus fomitem penitus posse subigi.

§. XVIII.

Ennarratis hucusque potioribus saltem, ut arbitror cephalalgiae, & cephalaeae causis, quaestio superest, qui fiat, ut dum causa v.

g. tophus internus, vel exostosis continuo adfit, dolor capitis tamen per vices solum redeat? hujus ratio in eo posita videtur, quod certis tantum temporibus fiat major congestio sanguinis in capite, & circa ipsum locum, ubi caussa hæret: causæ vero, quæ sanguinem majori copia ad encephalon determinant, enarrabimus §. 7. hoc ergo ratione distentis vasis volumen cerebri, adeoque etiam compressio ejus a tophe vel exostosi augetur.

Alia vero ratione res se habet cum dolore capitis sympathico, cujus causæ patiores sunt bilis corrupta, saburra acida, austera, pinguis rancida facta, ventriculum & præcordia gravans, dolor hic plerumque utrumque temporum regionem occupat, ægri lucem non ferunt, sibi que ab adstantibus caput constringi petunt, unde levamen percipiunt, quod vero solum in dolore capitis sympathico hac ratione obtinetur: prout enim ligatura magis dolet, ita dolor immittitur, quia sensatio major minorem elidit: hic dolor sympathicus, inquam, non continuo adest, quantumvis caussa ejus nunquam non absit: saburra enim laborantes, dum mane surgunt, cephalalgiam conqueruntur, quæ brevi post assumptum jentaculum minu-

nuitur, vel penitus cessat, donec sequenti die denuo redeat, quod inde fieri intelligitur, quia saburra hæc assumpto jentaculo quocunque piluta, involuta, aut pro tempore enervata fuit, unde dolot per reliquam diei partem silet, dum interim saburra per noctem denuo acris facta, mane recrudescat. Est hic dolor capitis febrium biliosarum, & putridarum comes individuus, & temperamentis biliosis valde familiaris.

§. XIX.

In prognosi circa dolorem capitis facienda cautella opus est haud exigua, ut ne plus promittamus, quam præstare posimus; etenim si quis antea quoad omnia sanissimus nunc ob copiam assumptorum v. g. vini, aliorumque spirituosorum cephalalgia infestatur, tuto promittes eam apta medicatione sublatum iri: sed si idem ab ignota causa, per longum tempus capitis dolore continuo, aut per vices redeunte divexetur, difficilem curatu morbum merito prædices: tali quoque citra famæ periculum non facile medicinam facies, aut si feceris, saltem de incerto curæ exitu eum præmonebis.

Dolor capitis pendens ab alio morbo principe, hoc sublato & ipse cessabit.

Cephalalgia venerea, si recens sit, causam habet solum in fluidis, & aptis remediis utcunque cedit; ad idem dolor inveteratus solidorum vitio plerumque alitur v. g. topho, carie interna, vel coalitu membranarum nulla ratione auferenda.


Notari hic meretur, dari subinde homines morbosos quod ipsum in nosocomio practico observare nobis contingit. Quorum adfectio morbosa vix poterat dignosci, aut ad certam morbi speciem ob symptomata vaga & incerta reduci, donec, initianse vere præter opinionem tumor aliquis tophaceus in fronte aut alia parte adparuerit, præsentiam luis indicans, cujus antea nullum vestigium adparebat, id quod ratio medendi postmodum adhibita, & sanatio morbi inde obtenta adhuc magis confirmavit; habet enim lues id cum aliis quibusdam morbis sibi proprium, ut tantum certa anni tempestate, vere nimirum curam efficacem admittat, quam aliis temporibus, uti autumno, vel hyeme non tam facile suscipit; unde sequitur, medicum in curandis certis morbis contentum esse debere,

si tali anni tempore, quod curationi eorum minus favet, tantum non exasperentur, aut iincrefcant: adeo nempe verum est, etiam anni tempora sibi magnam partem in morborum curatione vindicare.

§. XX.

De cura dolorum capitis, deque remediis quibusdam a variis laudatis quædam adhuc dicenda restant, ac primo quidem de venæ sectione. Hæc vero institui solet vel in brachio vel pede, aut vena jugulari, alii autem hujus loco hyrudinem retro aurem, vel ad ipsum locum dolentem adplicant. Causa doloris facile determinabit & necessitatem & locum venæ aperiendæ.

2^{do}. Rasio capitis præcipue juvat illos, quorum caput multis, densisque capillis obtegitur, & ob continuum usum pomadæ, cum insperfo copioso pulvere cyprio quasi in pastam redactæ vix non totum imperspirabile redditur: hos præter abrasionem capillorum frequens ablutio capitis cum lixivio saponato, aut alio quocunque liquido, quod cutem abstergere, & porros ejus referare valet, juvabit.



3o Aqua frigida, glacialis, nix. Perfrictio capitis cum nive, ablutio, vel embrocatio ope aquæ frigidaë instituta, aut denique frequens immersio capitis in aquam frigidam maxime proderit in Cephalalgia hypochondriacorum, hysteriarum, aut ubi inter membranas externas capitis humores stagnant, ut sic excitando partes in vividiores oscillationes hic hospitans materia in circulum agatur, & repencutiatur: Cautella vero iopus est hac in operatione si ullibi, dum hæc mota materies metastatice posset deferri vel ad fauces, & ibidem anginas causare, vel ad pulmones, hepar, aliaque viscera, morbosque producere in illis partibus peculiares.

4do De Verbena in pertinacissimis capitis doloribus mentio fit apud varios auctores, ut apud Petrum Forestum & alios: aliqui solent ipsam herbam viridem collo suspendere, & relinquere ad ejus exsiccationem, alii aquæ verbenæ unc. VI. spirit. vitriol. gutt. 6. aut 7. cochleatim sumi bono cum effectu jubent.


5to Ustio cranii inter hæc locum habet, ejus fautores ultra quadraginta numerat magnif. de Haen tom. 6. ration. med. cap.

cap. 6. cautellæ adhibendæ , & periculum operationis ibidem indicatur.

6to Apophlegmatifonta : uti majorana , marum , salvia , tabacum. Horum actio , dum pulverisata naribus attrahuntur est fibrillas nerveas hic per membranam schneiderianam copiosissime dispositas irritare , adeo , ut non solum mucum illas onerantem salivam juxta illas hospitantem , sed & ex remotissimis aliis capitis partibus eliciant humores. Huc spectant plantæ quædam Cephalicæ dictæ , quo refertur origanum , serpillum , thymus , nepeta calamintha montana , salvia , majorana , rosmarinus , ruta , flores lavandulæ , rosarum , quæ præterquam quod nervis amica , eos excitent , etiam blando suo stimulo humores lentescientes circumagunt , & per spiracula cutis educunt , dum potu assumpta fuere.

7mo Arteriotome celebratum est remedium , veteribus jam in cephalæa pertinaci magno prætio habitum.

8vo Ligatura arteriæ. Hæc tamen a hodiernis raro aut nunquam adhibetur , magis vero usitata est veterinariis , quam in tibiis equorum plerumque instituere solent.



lent. Tam arteriotome, quam ligatura arteriæ jurant, quatenus arteria discissa, vel ad parietes ossium, juxta quos decurrit fortiter adpressa coalescit, quo via sanguini ad locum dolentem adpellenti clauditur, unde saltem doloris imminutio obtinetur. Cel. Harveius hac methodo aliquoties feliciter usus est.

9^{no} Celebratissimum, & valde usitatum remedium in Cephalæa rebeli est salivatio mercurialis; sed mercurius superius dixi, tollit cephalæas venereas, quamdiu vitium adhuc in humoribus hæret, quodsi jam in solidis lateat, eas non amplius tam certo tollit. Profruit tamen nonnunquam mercurius etiam in cephalæis non venereis, fortassis in illis, quarum causa erat materies scrophulosa, limpha tenax, aut variis acrimoniis infecta; hanc enim pulcherrime attenuat & de corpore eliminat; interim non oportet accedere ad usum remedii tam generosi, nisi aliis prius tentatis, consultis aliis medicis, & consentiente ægro.


10^{mo} Vesicans capiti raso applicatum proderit in colluvie aquosa, ubi & setaceum optimi usus erit. Cortex meserei in eodem casu forte vesicanti præferendus est

ex eo, quod non tantam excitet suppurationem, sed multo leviolem & superficiallem quasi, tum etiam quod de plaga in plagam sine incomodo dimoveri queat.

II^{mo} Trepanum, qua operatione humores inter laminas osseas, aut inter cranium & meninges, hasve & cerebrum collecti evacuantur, pili, spinæ osseæ, tophi & calculosæ concretiones demuntur. Ipsa hac terrebratione in loco dolente instituta plerasque cephalæas pertinaces se sustulisse testatur Ludovicus Tureti, narrans casum hominis, in quo diuturni & atrocis doloris causa nulla patuit; omnibus in cassum tentatis cranium perforavit, quo facto materia meleæ consistentiæ ex vulnere profluebat & æger pristinae sanitati in integrum restitutus erat.

Sic quoque dolores capitis venerei pendentes a vitio organico nonnisi hoc remedio, si locus, in quo hærent, concesserit, auferri possunt.

12^m Emplastra ex variis animalium partibus capiti raso apponunt multi, præcipue ex halecibus, jubendo ægrum decumbere,



bere in loco calido; sed notum est, animalia citissime in tali loco putrescere, quo facto alcalinum per putrefactionem generatum partes stimulat. Effectum igitur alium non habent, quam apophlegmatifonta.

13mo Vis electrica profuit in Cephalalgia anemotropa Georg. Hannaci. Miscell. Cur. quæ, quoties flat ventus meridianus, calidus, & humidus certos homines constanter adficit, & accedente vento boreali aut alio quovis evanescit: ad eam vero disponunt quæcunque cerebri vigorem imminuunt, ut studia immodica, curæ lubricationes diuturnæ.

Quoties flat Auster apud nos, inquit Cel. Sauvages, electrica vis fere evanescit in aere, ut docent observationes electricæ, inde fieri concludit, ut tonus cerebri laxetur, sanguis in eo congeratur, & hæc species inquit porro perbelle sanatur per electrificationem, quæ diversis artificiis excitatur.



THESES.

I.

Cephalalgiam sanguineam opium auget,
& appoplexiam inducit.

II.

Ubi venæ sectio indicatur, opium &
vesicans contraindicatur.

III.

Hemoptoe rarissime, si unquam adstrin-
gentibus curatur.

IV.

Extractum hyoxiami & stramonii sæpe
opio præferendum est.

V.

Dantur hamorrhagine uteri, & pulmonum emetico optime curandæ.

VI.

Anni tempora in curatione morborum magnam sibi partem vindicare docent observationes practicæ.

VII.

Qui fumu carbonum ob frigus nocturnum in cubiculis asservatorum suffocati creduntur, potius ob defunctum aeris pereunt.

VIII.

Lues venerea in consortio scorbuti difficillime curatur.

IX.

Aer recens & purus est optimum remedium antiscorbutum.

X.

Nutrientia inphtyfi vera purulenta maxime nocent,